



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

Benevole Lector!

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)



## BENEVOLE LECTOR!

*Sequens §. cum in separato folio descriptus esset, ex Typographi incuria omissus est, cum autem ad Mechliniensis controversiæ, ejusque exitus cognitionem multum conferre videatur, eum ad calcem hujus Tomi subjungendum duximus.*

### §. LXII.

*Epistola Mechliniensis Archiepiscopi ad suos Diaecesanos.*

(ad Pag. 187.)

Quamprimum Mechliniensis Archipræsul Innocentii Breve receperat, mox illud promulgavit, cunctisque illius observantiam suo exemplo, datisque hisce literis inculcavit. „Innocentius XII. Pontifex Maximus pro pastoralis sua sollicitudine Ecclesiarum Belgicarum necessitatibus prospiciens, ad removendas dubitationes omnes & Cavillationes circa condemnationem quinque famosarum propositionum & præscriptam adversus eas formulam Juramenti, omnes, ad quos pertinet, certiores reddere dignatus est „Apo-

„Apostolico Brevi ad nos dato die sexta  
 „Februarii ultimo elapsi, se firmiter inhæ-  
 „rere constitutionibus Prædecessorum suorum  
 „Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus  
 „quinque Propositiones ex libro Cornelii Jan-  
 „senii, cui titulus est, Augustinus excerptæ  
 „& damnatæ unacum Formulario Juramenti  
 „in earundem condemnationem præstandi conti-  
 „nentur, easque Constitutiones in suo robore  
 „fuisse, & esse declarat. Ne vero altercatio  
 „deinceps sit de sensu, quo in memorato  
 „libro propositiones prænominatæ depre-  
 „henduntur, addit, eas esse ex libro Jan-  
 „senii excerptas in sensu obvio. Declarat præ-  
 „terea, nos per constitutionem Apostolicam  
 „munitos esse facultate, Formularii subscriptio-  
 „nem, seu Juramentum ad praxim reducendi,  
 „in quo Zelum & charitatem nobis commendat.  
 „Quapropter voluimus primi omnium juxta  
 „eandem formulam jurare, eique manu  
 „propria subscribere, uti reipsa juravimus  
 „& subscripsimus, exemplum nostrum mox  
 „sequente Vicario nostro Generali, ut cæ-  
 „teris inferioribus Presbyteris murmura-  
 „tionum ansa præscindatur. Neque enim  
 „est, cur in re tam honesta & Sedis Apo-  
 „stolicæ judicio comprobata oves pudeat  
 „sequi exemplum Pastoris, aut Presby-  
 „teros exemplum Episcopi. Præstandum  
 „autem est Juramentum juxta Formulam  
 „ab Alexandro VII. præscriptam, quæ  
 „hic

„hic subicitur (\*) cuique nihil sive inter-  
„ne addi potest, aut demi quocumque  
„prætextu, sed omnes, qui ad *Juramen-*  
„tum adigendi sunt illud præstare debent *sincere,*  
„absque ulla distinctione, restrictione, seu expo-  
„sitione, neque, alio sensu, quam obvio, quem  
„ipsum Formularii verba per se exhibent. Si  
„quis aliter jurare præsumpserit, hominibus  
„forte illudere poterit, sed non Deo, qui  
„scrutatur corda, & horrendum perjurii  
„crimen non patietur impunitum: Datum  
„Bruxellis die . . . . Junii 1694.

(\*) *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X.*  
*datæ die 31. Maij 1653. Constitutioni*  
*Alexandri VII. datæ 16. Octobr. 1656.*  
*summorum Pontificum me subicio, &*  
*quinque propositiones ex Cornelii Jansenii*  
*libro, cui nomen: Augustinus, excerptas,*  
*& in sensu ab eodem Authore intento,*  
*prout illas per dictas Constitutiones Sedes*  
*Apostolica damnavit, sincero animo re-*  
*jicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus*  
*adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

NOTAN-

## NOTANDUM.

Ad pleniorē Fenelonianæ causſæ cognitionem fors haud ingrātum erit, sequentes etiā epistolās ad manus habere.

*Cameracensis Archiepiscopi literæ ad Innocentium XII. Papam.*

(ad Pag. 499.)

*Sanctissime Pater!*

Quem de sententiis Sanctorum & vita ascetica librum nuperrime scripsi, „quam primum ad Beatitudinem vestram „summa cum animi demissione & reverentia mittere decreveram. Hoc sane debetur obsequium supremæ, qua omnibus „Ecclesiis præes, auctoritati, is significandus gratus animus pro illa, qua me „cumulasti munificentia. Verum quid in „re tam gravi, & quæ mentes adeo exagitat, omittam; neve aliqua diversissimo „linquarum ingenio æquivocatio subrepat „totum contextum summa cum diligentia „latine vertendum duxi. Huic operi totus incumbo, ac mora brevi ad pedes „Beatitudinis vestræ opusculum manu „scriptum deferendum mittam. Utinam „Bea-

„Beatissime Pater, utinam ego ipse mu-  
„nusculum humillimo, ac devotissimo pe-  
„ctore offerens Apostolica benedictione do-  
„nandus accederem. Sed heu! molestif-  
„sima Diæcesis Cámeracensis, hisceluctosis  
„belli temporibus negotia, & a Rege mihi  
„credita Puerorum Regionum institutio,  
„tantum solatium me sperare vetant. Quod  
„autem ad scribendum de vita ascetica &  
„contemplativa animum impulit, hoc fuit  
„imprimis, Sanctissime Pater, quod San-  
„ctorum sententias a sancta sede toties  
„comprobatas, ab aliis in flagitiosissimos  
„errores sensim retorqueri, ab aliis scili-  
„cet imperitis ludibrio verti, jam dudum  
„fenserim. Quietistarum dogma nefandum  
„ac perfectionis speciem præseferens, in  
„varias Galliarum partes, necnon & in  
„Belgium nostrum, uti cancer clam ser-  
„pebat: varia scripta alia minus emendata,  
„alia errori proxima, passim lectitabant  
„homines prurientes auribus, ab aliquot  
„sæculis multi mystici scriptores Mysterium  
„fidei in conscientia pura habentes, affe-  
„ctivæ puritatis excessu, verborum incuria,  
„Theologorum dogmatum veniali insci-  
„tia, errori adhuc latenti imprudentes fo-  
„verant. Hinc acerrimus clarissimorum  
„Episcoporum Zelus excanduit. Hinc  
„triginta & quatuor articuli, in quibus e-  
„dendis egregii præsules me sibi adjungi  
„non dedignati sunt. Hinc etiam illorum  
*Hist. Eccles. Tom. LXVI.*      Aaa      „con-

„censuræ in libellos (\*) quorum, loca  
 „quædam in sensu obvio, & naturali me-  
 „rito dampnantur.„

„At certe ita est hominum ingenium,  
 „Sanctissime Pater, ut dum vitium alte-  
 „rum refugiunt, in alterum oppositum in-  
 „currant, præter expectationem nostram  
 „quidam hanc occasionem arripuerunt a-  
 „morem *purum & contemplativum*, quasi  
 „deliræ mentis ineptias deridendi. Me-  
 „dium iter aperiendum, a falso verum, a  
 „novo antiquum, a periculoso tutum fe-  
 „cernendum esse ratus, id pro modulo  
 „tentavi: quod utrum præstiterim nunc,  
 „tuum est, Sanctissime Pater, judicare,  
 „meum vero in te Petrum, cujus fides  
 „nunquam deficiet, viventem & loquen-  
 „tem audire ac revereri.„

„Hoc in opusculo brevitati maxime  
 „studui, suadentibus peritissimis viris, qui  
 „& illusioni grassanti, & derisioni profano-  
 „rum hominum remedium præsens, &  
 „facile adhiberi voluerunt. Ergo consu-  
 „lendum fuit, sanctissime Pater, candidis  
 „animabus, quæ simplices in bono, nec  
 „adversus malum satis cautæ, deterri-  
 „mum monstrum floribus subrepens non-  
 „dum senserunt. Consulendum & criti-  
 „corum fastidio, qui traditiones asceticas  
 „& aureas sanctorum sententias ab hac vi-  
 „rulentâ

(\*) *Via brevis & planissima. Int. Cant.*

„rülenta perditissimorum hominum hy-  
„pocrisi fecernere volunt. Unde libellum  
„uti vocabularium mysticæ Theologiæ piis  
„animabus, ne fines a patribus positos ex-  
„cederent, dandum esse arbitrati sunt. Qua-  
„propter, Sanctissime Pater! quam brevif-  
„simas potui definitiones verborum, quo-  
„rum usus apud Sanctos invaluit, presso  
„stylo conclusi, ac veluti censuræ pondere  
„impudentissimam hæresin proterere cona-  
„tus sum. Nec enim, ut mihi visum est,  
„Episcopum decuisset, tot nefarios errores  
„in lucem prodere, nisi continuo, acce-  
„deret indignatio pudica & Zelus Domus  
„Dei. Absit tamen, Sanctissime Pater,  
„ut tenuitatis meæ oblitus, id arroganter  
„fecerim, verum supremæ Sedis auctori-  
„tas, quod mihi deerat, abunde supple-  
„vit, veras de ascetica disciplina, & de  
„amore contemplativo, sententias summi  
„Pontifices in perpendendis singulis scri-  
„ptis auctorum, qui sanctorum catalogo  
„adscripti sunt, sexcenties comprobave-  
„runt.

„Igitur huic immotæ regulæ adhærens  
„inoffenso pede veros articulos condi posse  
„speravi. Alia ex parte falsos quasi ma-  
„nuctus damnavi: per omnia enim in-  
„hæsi decretis solemnibus, ubi sexaginta  
„& octo propositiones Michaelis de Moli-  
„nos a sancta sede damnatæ sunt: Sancto  
„oraculo fretus, vocem attolere non du-  
„bitavi.



„bitavi. *Primo*, actum permanentem &  
 „nunquam iterandum ut inertiae & focior-  
 „diae interioris lethale veternum confutavi.  
 „*Secundo* distinctionem & exercitium ne-  
 „cessarium singularum virtutum statui.  
 „*Tertio*, contemplationem jugem ac  
 „omnino perennem ut repugnantem statui  
 „viatorum, quippe quae peccata venialia,  
 „varia virtutum officia, mentis denique  
 „in voluntarias evagationes excluderet,  
 „absolute negavi. *Quarto*, orationem pas-  
 „sivam, quae liberi arbitrii cooperationem  
 „realem in actibus meritoriis eliciendis  
 „excludat, rejeci. *Quinto*, nullam aliam  
 „quietem, cum in oratione, tum in cae-  
 „teris vitae interioris exercitiis admisi, praeter  
 „ter hanc Spiritus sancti pacem, qua ani-  
 „mae puriores actus internos ita uniformes  
 „aliquando eliciunt, ut hi actus jam non  
 „actus distincti, sed mera quies, & per-  
 „manens cum Deo unitas indoctis videan-  
 „tur. *Sexto*, ne amoris puri doctrina,  
 „tot patribus Ecclesiae, totque sanctis com-  
 „probata, Quietistarum erroribus patrocini-  
 „nari videretur, in eo maxime operam im-  
 „pendi, ut quivis perfectus, quovis amore  
 „gratuito incensus, spem, qua salvi su-  
 „mus facti, suo pectore foveat, secundum  
 „quod ait Apostolus: *Nunc autem manent*  
 „*fides, spes, charitas, tria haec, Major autem*  
 „*horum est charitas.* Ergo semper speranda,  
 „cupienda, petenda nostra salus etiam qua-  
 „tenus

„tenus nostra, quandoquidem eam vult  
„Deus & ad sui honorem vult, ut eam  
„ipsi velimus, ita spes proprio in officio  
„perseverat non tantum habitu infuso, sed  
„etiam actibus propriis, qui a charitate  
„imperati, & nobilitati, ut ait schola, ad  
„ipsius charitatis excelsiorem finem, nem-  
„pe puram Dei gloriam simplicissime rese-  
„runtur. *Septimo*, asserui hunc statum  
„puræ charitatis reperiri in paucissimis  
„perfectis, & esse *tantummodo habitualem*.  
„Qui habitualem dicit, absit ut dicat *in-*  
„*amissibilem* aut *expertem cujuscunque varia-*  
„*tionis*. Si quotidianis peccatis vacet sta-  
„tus ille, quanto magis admittit actus inter-  
„dum elicitos, qui quidem boni ac meri-  
„torii sunt, etiam si paulo minus puri &  
„gratuiti; sufficit ergo, ut plerumque in  
„eo statu actus virtutum charitate impe-  
„rante & informante exerceanur. Hacte-  
„nus omnia, triginta & quatuor articulis  
„Episcoporum consona. Opusculo a me  
„in lucem edito adjungam, Sanctissime  
„Pater, antiquorum Patrum, ac recen-  
„tiorum sanctorum de amore puro & con-  
„templativo sententiarum manuscriptam  
„collectionem. Ita quod priori in opusculo  
„simplici expositione declaravi, posteriori  
„in opusculo omnium sæculorum testimo-  
„nia ratum facient, utrumque opus, Bea-  
„tissime Pater, sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
„cæterarum Matris & Magistræ judicio

„submitto totis præcordiis, mea meque  
 „ipsum, uti filium obsequentissimum Bea-  
 „titudini Vestræ devoveo. Quodsi libel-  
 „lus Gallice scriptus ad Beatitudinem ve-  
 „stra jam pervenerit, hoc unum impen-  
 „sissime oro, Sanctissime Pater, ne quid  
 „statuas, ante perlectam quam brevi mis-  
 „surus sum, latinam versionem. „

„Quid superest, nisi ut diuturnam in-  
 „columitatem exoptem ei, qui incorrupto  
 „animo Christi Regnum procurat, & cum  
 „tanto Catholici orbis applausu claris pro-  
 „pinquis, ait, *ignoro vos.* His quotidia-  
 „nis votis Ecclesiæ decus ac solatium,  
 „disciplinæ instaurationem, propagationem  
 „fidei, errorum & schismatum extirpa-  
 „tionem, amplam denique, summo Patri-  
 „familias messem exopto; æternum ero.

*Sanctissime Pater!*

Beatitudinis Vestræ,  
*Humillimus, obsequentissimus,  
 Et devotissimus Filius Et  
 Servus.*

*Franciscus Archiepiscopus.  
 Dux Cameracensis.*

Hæc literas Pontifex sat benigne ac-  
 cepit, nullaque erroris utpote Archiepiscopi  
 scripto nondum examinato facta mentione,  
 hæc ad eum rescripsit.

„Per-

„Pergratæ nobis acciderunt Fraternali-  
„tatis tuæ literæ quarto Kalendas Maij  
„datae. In iis enim eximiam, quam erga  
„Sanctam hanc Sedem profiteris, obser-  
„vantiam aperte cognovimus, inque præ-  
„clara opinione, quam de Zelo, quo fla-  
„gras, in adimplendis muneris tui parti-  
„bus gerebamus, confirmati sumus: me-  
„rito confidentes fore, ut Doctrinam, qua  
„præstas, Divinæ gloriæ ad incrementum  
„animarumque profectum omni conten-  
„tione ac studio impendas &c.,

*Epistola Ludovici Galliarum Regis  
ad Papam.*

„Liber, quem Archiepiscopus Camera-  
„censis composuit, postquam magnum mo-  
„tum in Ecclesia Regni mei fecit, Ego  
„ipsum per Episcopos, magnumque nu-  
„merum Doctorum, & prudentum Reli-  
„gioforum diversi Ordinis examinari jussi.  
„Omnes unanimiter tam Episcopi, quam  
„Doctores retulerunt, quod iste liber ad-  
„modum perniciosus sit, & quod ipsa ex-  
„plicatio, quam dedit præfatus Archipræ-  
„sul, sustineri non possit. Declaravit qui-  
„dem in præfatione libri sui, quod saltem  
„explicare velit doctrinam Confratrum suo-  
„rum. Verum post vias mitiores, quas  
„Episcopi sine effectu tentarunt, existima-  
„bant,

„bant, se obstrictos esse in conscientia, ut  
 „declarationem faciant de eo libro, eum-  
 „que tradant manibus Episcopi Damasceni  
 „Nuntii vestræ Sanctitatis apud me: & ita  
 „terminetur controversia a S. V. quæ fa-  
 „cile posset pessimam sequelam post se ha-  
 „bere. Rogo itaque humillime, ut deci-  
 „dat & pronuntiet, quamprimum possibile,  
 „de libro isto, ejusque doctrina, promit-  
 „tendo vicissim. quod omnem meam au-  
 „thoritatem interpositurus sim, ut decisio  
 „V. S. ad effectum & executionem per-  
 „veniat &c.„

Declaratio autem, cujus mentionem  
 fecit Ludovicus Rex, erat a Noallio Ar-  
 chiepiscopo Parisiensi, Bossuetio Meldensi,  
 & Paulo de Godet des Marais Carnotensi  
 Episcopis concepta, qua Feneloni doctri-  
 nam articulis, quos contra Guioniam no-  
 tarunt, adversari demonstrarunt: Erat  
 autem tenoris sequentis:

„Jam dudum in testimonium vocatos  
 „respondere tandem nos oportet: Illustris-  
 „simus, & Reverendissimus DD. Archiepi-  
 „scopus Dux Cameracensis ab ipso libri  
 „initio, cui titulus: *Explicatio Sententiarum*  
*Sanctorum* &c. & in ipsa præfatione seu  
 „commonitione prævia duos (\*) ex nobis  
 „commemoravit, quorum doctrinam ac  
 „decreta XXXIV. Articulis comprehensa  
 „tantum copiosius exponenda susceperit.  
 „Ter-

(\*) Scilicet Parisiis: & Meldensem.

„Tertius vero etiam Constitutione publica  
„eandem cum illis sententiam promulga-  
„vit. Idem Illustrissimus ac Reverendis-  
„simus Archiepiscopus datus ad SS. D. N. D.  
„Innocentium Papam XII. literis, iisdem  
„articulis, atque Episcoporum adversus  
„quosdam libellos censuris nititur: tres  
„autem tantum sumus, qui eosdem li-  
„bellos, eorumve loca quædam censura  
„notandos duxerimus. Neque tamen *loca*  
„*quædam*, ut idem Auctor asserit, sed plera-  
„que omnia, ac totos libellos, ipsumque  
„adeo eorundem librorum spiritum elisum  
„voluimus. Neque ut in eadem Epistola  
„scribitur, adversus mysticos aliquot ante  
„actis sæculis, Theologorum dogmatum  
„veniali inscitia laborantes *noster Zelus ex-*  
„„*canduit*, sed adversus notissimos nostræ  
„ætatæ Quietistas gravissime lapsos cen-  
„suræ nostræ articuli directi sunt. Ne-  
„que confugimus *ad obvium naturalemque*  
„*sensum*, tanquam occultior sensus subesset,  
„qui tolerari forsitan posset; sed venenum  
„libellorum in aperto esse duximus. Latet  
„etiam vos, ex articulis censurisve nostris  
„aliquos arripuisse occasionem, *amorem pu-*  
„*rum, & contemplationem quasi deliræ mentis*  
„*ineptias deridendi*: ut est in Epistola prodi-  
„tum. In eadem Epistola rursus libri sum-  
„ma exposita, omnia *iisdem articulis con-*  
„*sona* perhibentur. Quæ cum ita sint, cum-  
„que prædictus liber nostra se sententia

„tueatur, quid de eo sentiamus, promere  
 „cogimur: non tamen ad hæc extrema  
 „dolentes antea devenimus, quam omnia  
 „conati & experti, ut fraternum animum  
 „flecteremus; omnino necessitati cedimus,  
 „ne quisquam in eundem librum consen-  
 „tire nos putet, ac, quod gravissimum  
 „foret, ne SS. D. N. Papa, quem impen-  
 „sissime, & devotissime colimus, cuique ut  
 „Capiti fidei indivulsa adhæremus, doctri-  
 „næ, quam Romana improbat Ecclesia  
 „ullo modo favere nos arbitretur. Ac pri-  
 „mum quidem eorundem articulorum,  
 „quos prædictus liber commemorat, ea  
 „fuit ratio. Cum apud nos extaret mu-  
 „lier, quæ edito libello, cui titulus, *Me-  
 „thodus succincta* & aliis ejusmodi, sparsis-  
 „que Manuscriptis Quietistarum factionis  
 „dux esse videretur: Ea consultores tres  
 „dari sibi postulavit, quorum iudicio sta-  
 „ret. His Illustrissimus auctor quartus ac-  
 „cessit. Itaque animus fuit, eam & ejus  
 „asseclas, quibusdam finibus coercere,  
 „occupare suffragia, atque ex certissimis  
 „fidei symbolis, ipsaque oratione Domi-  
 „nica, ac scripturarum & sanctæ Traditio-  
 „nis Virorumque spiritualium dogmatibus,  
 „Propositiones a Conciliis ac sede Aposto-  
 „lica vel juste, vel in ipso fonte damnatas  
 „indicare, „

„Hic ergo nostrorum Articulorum ac  
 „Censurarum scopus, hæc ratio est: An  
 „autem

„autem hos articulos, atque censuras præ-  
„dictus liber extendat & explicet tantum,  
„an vero intervertat, sequentia demon-  
„strabunt. Inprimis spes Theologica in  
„eo libro tollitur, cum extra statum gratiæ,  
„tum inter perfectos in ipso gratiæ statu.  
„Extra statum quidem gratiæ, cum dici-  
„tur (a) ante justificationem in amore spei  
„ita amari Deum, ut in eo amore amor  
„sui, nempe proprii commodi seu propriæ  
„felicitatis, tanquam motivum præcipuum  
„dominetur, ipseque motivo divinæ glo-  
„riæ prævaleat; unde efficitur, ut spes,  
„motivo quippe creato seu commodo pro-  
„prio nixa, non sit virtus Theologica, sed  
„vitium: Quo etiam fit, ut ei, licet per-  
„peram, applicetur illud axioma (b) sancti  
„Augustini: *Quod non provenit ex principio  
„charitatis, provenit ex cupiditate, atque ab  
„amore illo, qui fons sit ac radix omnium vi-  
„tiorum, eorum scilicet, quæ in nobis Dei  
„Zelantis æmulatio impugnet.*

„Post justificationem vero in statu per-  
„fecto sive amoris puri inducitur ea spes  
„(c) quæ fit quidem in animo, animum  
„tamen non moveat: In qua quippe (d)  
„amor sit purus, nullo motivo utili timo-  
„ris, aut spei mixtus (tanquam perfecta  
„charitas spem perinde ac timorem foras  
„mit-

(a) Pſal. 3. v. 4. 10. (b) Pſal. 5. (c) Pſal.  
10. v. 15. 16. 65. &c. (d) Pſ. 8. v. 17



„mittat) ita ut anima proprii commodi  
 „ratione aut motivo non excitetur: in-  
 „centivaque proprii commodi scripturis,  
 „traditionibus & Ecclesiæ precibus toties  
 „inculcata perfectis mentibus subtrahan-  
 „tur. „

„Quæ sit autem ratio proprii commodi  
 „in toto libro passim ita (e) explicatur, ut  
 „anima nullo jam desiderio mercenario te-  
 „neatur; neque meriti, neque perfectio-  
 „nis, neque felicitatis, aut mercedis etiam  
 „æternæ, eoque redeat omnis sanctorum  
 „tum antiquorum tum recentiorum sen-  
 „tentia. „

„Hinc universim dictum, omne moti-  
 „vum mercenarium, ab omnibus virtuti-  
 „bus perfectarum animarum excludi: Quod  
 „etiam sancto Francisco Salesio, nullo al-  
 „lato loco, imo contra illius multa loca  
 „imputatur. „

„Quo etiam spectat illud velle nos  
 „Deum, quatenus est nostrum bonum,  
 „nostra felicitas, nostra merces, & qui-  
 „dem formaliter sub hac præcisa ratione;  
 „sed non propter hanc præcisam rationem:  
 „objectumque formale spei, esse commo-  
 „dum, nempe Deum nobis bonum, nec  
 „tamen ullum esse motivum mercenarium:  
 „Quod quidem est pugnantia dicere: mo-  
 „tivum non motivum inducere: spem ipsam  
 „eli-

(e) P. 7. 37. 87. &c.

„elidere, quæ movendi animi virtute de-  
„stinata solo spei nomine gaudeat. „

„His ergo, aliisque, dum spei retento  
„nomine, res ipsa tollitur, primi & trige-  
„simi primi articuli ex nostris triginta qua-  
„tuor, de spei exercitio omni in statu re-  
„tinendo, sensus ad fidem pertinens e-  
„luditur. „

„Neque obstat, quod his contraria a-  
„liis prædicti libri locis posita videantur;  
„revera enim hic liber certis clarisque ac  
„ipsissimis verbis dissona asseverat: Quale  
„istud est (f) *Deus vult ut velim Deum qua-*  
*tenus meum bonum est, mea felicitas, mea mer-*  
*ces*: Recte, & contrarium semel iterum-  
„que scribitur his scilicet verbis (g): *ve-*  
*rum quidem est, nos non velle Deum, ut est*  
*nostra merces, nostrum bonum, nostrum com-*  
*modum, nostra salus, nostra æterna redemptio*  
*ac liberatio, & commodorum maximum*: Quæ  
„sententiarum ac verborum tam aperta  
„contradictio, non erroris excusatio, sed  
„probatio est. „

„Quin, universim libri stylus ita tor-  
„tuosus est, ac lubricus, ut plerisque in  
„locis nonnisi summo labore certus sensus  
„exsculpi, & eliquari possit: quod equi-  
„dem doctrinæ male sibi cohærentis, ne-  
„que tam temperamenta, quam effugia  
„quærentis indicium est. „

„De

(f) P. 29.

(g) P. 34. 35.

„De desiderio salutis in libro hæc habentur (h): *vitæ æternæ desiderium bonum est, sed nihil desiderandum nisi Dei voluntas*: Quæ sancto Francisco Salesio imputata, non legimus tamen in hujus sancti libris. Item in eodem libro habetur: *Duo sunt justorum status, alter resignationis, in quo desideria mercenaria (hoc est salutis æternæ) Dei voluntati submittuntur. Alter sanctæ indifferentiæ, in quo nullum est penitus mercenarium desiderium: exceptis iis casibus, in quibus anima suæ gratiæ deest, nec ei toti plane respondet.* Quo etiam referuntur supra memorata, non optari salutem, quatenus est nostra merces, nostrum bonum &c. „

„Hæc autem omnia de elusis salutis æternæ desideriis, etiam motivo spei conceptis, & de salutis indifferentia, in prædictis articulis, juxta scripturarum auctoritatem, non modo ut falsa, verum etiam ut erronea respuuntur. „

„Quibus vel maxime damnatur illud, quod est in libro (i) positum: *Sancta indifferentia admittit generalia desideria omnium latentium voluntatum Dei*: Quibus voluntatibus etiam reprobationis, & aliorum & suæ, decreta continentur: & desiderium ad ea usque protenditur. „

„Neque quod idem liber insinuat, ultus patet æquivocationi locus, cum in „dictis

(h) Psal. 35. v. 146.

(i) Psal. 40.

„dictis articulis, de salutis indifferentia  
„omnis æquivocatio sublata sit, clara de-  
„finitione indifferentiæ, quæ eventus hu-  
„jus vitæ, solatiaque sensibilia, nusquam  
„autem ad salutem, eoque conducentia  
„pertinere possit. „

„Ad hæc quidem stabilienda, liber  
„huic articulo videtur initi: *Optandam &  
„postulandam salutem & rem, quam Deus ve-  
„lit: Quod est rectissimum & ex ipso salu-  
„tis fine repetitum. „*

„At in libro exclusive scribitur (k), non  
„illam optari, nisi quia Deus velit: Quo  
„& proxima ac specifica spei motiva de-  
„trahuntur, & aperitur via ad pessimam  
„indifferentiæ sententiam, quasi salus sit  
„ex sese indifferens, nec iussa tanquam  
„per se expetenda & bona, sed expetenda  
„tantum quatenus iussa. „

„Quam autem inter se differant res ex-  
„petenda propter Dei voluntatem, & res  
„non expetenda, nisi propter Dei volun-  
„tatem, demonstrat ipse Auctor jam inde  
„ab initio, ex sancto Francisco Salesio (l)  
„hæc referens: *magno discrimine secernuntur  
„ista: Deum amo propter bonum, quod ab eo  
„exspecto: &, Deum non amo. nisi propter  
„illud bonum: Unde liquet, quam in diversa  
„abeant, quæ levi tantum inflexione ver-  
„borum distare videantur. „*

„Ex

(k) Psalm. 18.

(l) Pfal. 3. v. 4. Am. Dci l. 2. c. 17.

„Ex ista salutis, quæ toto libro passim  
 „afferitur, indifferentia, hæc prodeunt:  
*In extremis probationibus invincibiliter animæ  
 esse persuasum, se juste a Deo esse reprobata:*  
 „Quo statu sacrificium salutis, quod ordi-  
 „narie conditionatum est, fit tandem ab-  
 „solutum, casu impossibili non tantum pos-  
 „sibili, sed etiam reali, seu actuali viso:  
 „Et permittente directore, suæ justæ con-  
 „demnationi ac reprobationi anima simpli-  
 „citer acquiescat.,

„Quin etiam in eodem statu, inutile  
 „& importunum judicatur, dogma fidei  
 „de bonitate divina in omnes effusa huic  
 „animæ prædicare, aut rationem ullam in  
 „remedium adhibere; Quo nihil est de-  
 „speratius.,

„At in prædictis 34. Articulis hæc om-  
 „nia diserte repudiantur, cum in nullis  
 „probationibus absolutus consensus admit-  
 „tatur: absit, sed tantum ex impossibili &  
 „præsuppositione falsa: præmisso alio ar-  
 „ticulo, in quo desperatio omnis excludi-  
 „tur, ac nedum director sinere permitta-  
 „tur, ut animæ suæ condemnationi ac  
 „justæ reprobationi simpliciter acquiescant:  
 „contra prohibetur, ne omnino eas ac-  
 „quiescere sinant: quin etiam diserte &  
 „clare non a prædicando divinæ bonitatis  
 „dogmate abstinere suadetur; ut est in libro  
 „positum (m): imo vero Director jubetur,  
 „Fran-

„Francisco Salesio auctore, afflictam ani-  
„mam certiore facere, nunquam eam  
„esse a Deo deserendam; quo non modo  
„Dei erga omnes homines bonitas gene-  
„ratim, sed etiam specialis erga hanc ani-  
„mam divinæ Misericordiæ affectus com-  
„mendatur.„

„Ad hæc in articulis virtutes omnes  
„tum Theologicæ exhibentur ac secernun-  
„tur: at eorum distinctionem liber obscu-  
„rat his verbis: *purus amor per se totam*  
*vitam interiorem constituit: fitque solus to-*  
*tius interioris vitæ unicum principium,*  
*unicumque motivum sive incitamentum.*  
„Reliqua ergo incitamenta tolluntur, præ-  
„ter illa, quæ sunt solius charitatis: quin  
„etiam sua charitati ratio adimi videtur,  
„cum dicitur (n): *Hic amor fit per vices*  
*quævis distincta virtus, nullam tamen expetit,*  
*in quantum est virtus, sic neque fides ut fi-*  
*des, neque spes ut spes, neque ipsa cha-*  
*ritas, quæ vita, & forma virtutum est,*  
*ut est virtus, quæritur. Hinc omnibus*  
*virtutibus suis honos detrahitur his pro-*  
*positionibus: puro amore id effici, ut neque*  
*quisquam virtutis studiosus esse velit, nec quis-*  
*quam fit virtutis studiosior, quam is, qui vir-*  
*tuti non studet. Unde illud extremum, &*  
*hactenus inauditum: sancti Mystici ab hoc*  
*statu*

(n) P. 144.

Hist. Eccles. Tom. LXVI.

Bbb

statu excludere praxin, & virtutem actus,  
 „quæ paradoxa & animum a studio vir-  
 „tutis avertunt, & imponunt spiritualibus  
 „viris, & ipsum virtutis nomen suspectum,  
 „invidiosumque efficiunt.„

„His consonat istud (o): *animas trans-*  
 „*formatas ex præsentè disciplina venialia peccata*  
 „*confessas, detestari culpas, & remissionem pec-*  
 „*catorum optare, non ut purificationem & li-*  
 „*berationem propriam, sed ut rem, quam Deus*  
 „*vult: quod proprium & intrinsecum pœni-*  
 „*tentiæ motivum obliterat, & Articulo*  
 „*nostro XV. adversatur: nec probandum*  
 „*confessionem venialium peccatorum ad*  
 „*præsentem tantum referri disciplinam.„*

„De concupiscentia in quibusdam ani-  
 „mabus, etsi paucissimis perfecte purgata,  
 „suspensisque ejus sensibilibus affectibus,  
 „& carne jam diu penitus spiritui subdita,  
 „in libro id asseritur, quod articulo nostro  
 „septimo, & octavo ex Conciliis deprom-  
 „pto aperte contradicit. Unde etiam  
 „eo auctor adducitur, ut mortificationis  
 „utilitatem, necessitatemque extenuet, re-  
 „clamante licet Apostolo, & Sanctorum  
 „praxi, faveatque doctrinæ Articulo no-  
 „stro XVIII. censurisque proscrip-tæ.„

„De contemplatione in libro ista pro-  
 „muntur (p): *cum pura & directæ est, nunquam*  
 „*eam voluntarie occupari ulla imagine sensibili,*  
 „*ulla*

(o) P. 155.

(p) P. 120, 121, 122.

ulla idea Divinitatis, distincta & nominabili,  
„hoc est, limitata, sed tantum purissima at-  
que abstractissima ratione entis illimitati: in  
„alia ergo objecta, hoc est, in attributa  
„quævis, personasque divinas, atque adeo  
„in ipsam Christi humanitatem, non pro-  
„pria electione ferri, sed repræsentante  
„Deo, nec nisi instinctu & impressione gra-  
„tiæ singularis, quippe qua animus non  
„voluntarie his objectis adhærescat, quasi  
„non sufficiat ad hæc prosequenda ipsa  
„rei bonitas, ipsa scripturæ invitatio, ipsa  
„cum gratia communi propriæ electio vo-  
„luntatis. „

„Ex his eo devenitur, ut animæ con-  
„templativæ duobus in statibus Christo di-  
„stincte viso, ac per fidem præsentate pri-  
„ventur: nempe in ipsis contemplationis  
„initiiis & in probationibus, qui status diu-  
„tissime protrahi & prorogari possunt. „

„Nec piget distinctam visionem Christi  
„in ipsa contemplationis intervalla conj-  
„cere, quasi Christum contemplari, sit, ut  
„Beguardi ajebant, a puritate & altitudi-  
„ne contemplationis descendere: quibus  
„argutiis ac tergiversationibus excusatio  
„paratur falsis contemplatoribus, qui mi-  
„nus delectentur Christo, nec ad illum  
„contemplandum sponte profiliant: a Di-  
„vinis attributis, personisque abstineant:  
„fidei distinctos actus a contemplatione



„amoveant, elusis Articulis I. II. III. IV.  
„& XXIV. „

„In libro scribitur (q), *nunquam licitum gratiam prævenire neque quicquam expectare a se, propriaque industria & propriis conatibus.*

„Quibus dictis totoque libri Artic. XI.  
„si ea, qua par est, diligentia perpendatur, actus liberi arbitrii, qui propria excitatio dicitur, corrumpitur, excinditur illud Davidicum: *præoccupemus faciem ejus, & illud: oratio mea præveniet te, & Augustinianum illud, quo tota divinæ gratiæ dispensatio nititur (r): Nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: evertitur quoque solennis distinctio Virorum spiritualium unanimes consensu discernentium actus proprii conatus, propriæque industriæ ab actibus infusis, ac motibus, sine conatu proprio, Deo agente & impellente, impressis: quæ & alia ejusmodi partim evertunt, partim obscurant, Articulos XI. XXV. & XXVI. „*

„In iisdem Articulis rejicitur absurdissimus, & omnibus scripturis, patribusque inauditus continuus actus, a quietis in vectus in perfectionis statum: quem actum Auctor in libro epistolaque respuit. Cæterum in idem incommodum, rursus impingit ipso nomine Uniformitatis,  
„tam

(q) P. 44. 62. 63. 65.

(r) De pecc. mer. L. 2. c. 5.

„tam placidæ, tam æquabilis, tam nullo  
„succesſu, nullo conſpicuo discrimine, ut  
„aliis nullus actus; aliis toto vitæ decurſu  
„unus idemque continuus actus eſſe vi-  
„deatur.“

„Denique illud imprimis noſtris arti-  
„culis cautum erat, ne, quod omnes con-  
„templativi ac ſpirituales viri uno ore re-  
„jiciunt, Chriſtiana perfectio & ſanctitas  
„aut purificatio aut omnino interior ſtatus  
„in oratione paſſiva ſeu quietis, aliisque  
„extraordinariis reponeretur. At contra  
„in eo totus verſatur liber, ut eadem ora-  
„tio, ipſaque contemplatio in puriſſimo  
„amore conſiſtat, qui non modo ſit per ſe  
„juſtificans, atque purificans, verum e-  
„tiam conſummans atque perficiens, ac  
„proinde ſumma perfectionis Chriſtianæ.“

„Qua in re multum errat, ac non tan-  
„tum a ſpiritualibus viris, verum etiam  
„a ſeipſo diſcrepat: a ſpiritualibus quidem,  
„qui, ſancta Theresia Duce, Joanne a Jeſu  
„interprete, Jacobo Alvare Paz aſſecla,  
„ſancto etiam Francisco Salesio aſſentiente,  
„aliisque permultis, docent, aut ſine ora-  
„tione quietis ad perfectionem poſſe per-  
„tingi, aut eandem orationem ad illa cha-  
„rismata pertinere, quæ gratiis gratis da-  
„tis ſimillima videantur, aut nedum per-  
„ficiens ſit atque conſummans, nequidem  
„juſtificantem eſſe; quippe quæ cum pec-  
„cato mortali poſſit conſiſtere. A ſeipſo

Bbb 3

„autem

„autem dissentit, quod passim statuat Chri-  
 „stianam perfectionem ea in oratione esse  
 „positam, quæ nihil sit aliud, quam amor  
 „purissimus, & tamen simul doceat, ple-  
 „rasque pias animas, atque eos etiam,  
 „qui singulari titulo *sancti* appellentur, ad  
 „illud orationis genus, adeoque ad per-  
 „fectionem pervenire non posse, cum iis  
 „desit lumen interius, & gratiæ trahentis  
 „beneficium. „

„Hinc etiam asserit, hanc de puro a-  
 „more doctrinam, quantumvis in ea Evan-  
 „gelii absoluta perfectio collocetur illius-  
 „que sit testis universa traditio, arcanum  
 „esse quoddam non tantum Christianorum  
 „vulgo, sed etiam plerisque sanctis occul-  
 „tandum, atque ideo totum Directoris of-  
 „ficium eo contineri, ut rem relinquat  
 „Deo, expectetque unctioem, quæ cor  
 „aperiat: quasi verbum Evangelii pure  
 „amatueros adjuvare non debeat, aut ipsa  
 „unctio verbum salutis excludat. „

„unde consequitur, nec ad omnes e-  
 „tiam sanctos pertinere illud Christi præ-  
 „ceptum, *estote perfecti*, imo nec etiam  
 „summum illud: *diliges &c.* quæ vocatio-  
 „nis Christianæ perfectioni derogant. „

„Nec minus inter se pugnant ista, pu-  
 „rissimi amoris, contemplationisque do-  
 „num pendere, a gratia seu afflatu di-  
 „vino justis omnibus communi, & tamen  
 „etiam sanctorum plurimis esse inaccessum,  
 „atque

„atque illis offendiculo, & perturbationi  
„futurum, si proponeretur. Quæ omnia  
„a nobis inter se conciliari non posse can-  
„dide profiteamur.,,

„Hoc igitur, & cætera supradicta,  
„quæ toto libro fusa sunt, censuris no-  
„stris ac 34. Articulis adversantur; nec  
„minus ab eadem doctrina & a vero a-  
„liena sunt, quæ sequuntur.,,

„Primum illud, quod in eodem libro,  
„& ab initiis, & in ipso progressu, semel  
„atque iterum falsorum spiritualium series  
„referatur, in eaque memoratis vetustissi-  
„mis gnosticis, & in media ætate Beguar-  
„dis, in Illuminatis Hispanicis series illa  
„constiterit: nulla mentione Molinosii facta,  
„nulla aßeclarum ejus, nulla præsertim  
„illius fæminæ, adversus quam articulos  
„instructos, & institutos esse constabat:  
„de quibus vel maxime agi oportebat,  
„cum eorum libellis, eorumque censuris,  
„Romano Pontifice auctore, tota Ecclesia  
„personaret.,,

„Huc accedunt istæ propositiones: *Quod*  
*amor puræ concupiscentiæ etsi impius ac sacri-*  
*legus, ad justitiam tamen, & ad conversionem*  
*præparet animas peccatrices: cum re ipsa*  
„præparatio non competat, nisi motibus  
„a spiritu Sancto, saltem impellente, ex-  
„citatis.,,

*Quod amor justificans, quo propria felici-*  
*tas ideo tantum requiritur, ut medium ad fi-*

nem ultimum, Dei scilicet, gloriam, relatum, eique subordinatum, toto libro mercenarius „vocitetur: repugnante Schola, spretoque „axiomate Augustiniano apud Theologos „celebrato; Nobis ad certam regulam sequi fas est.

Quod casus impossibilis, nempe, ut anima justa Deum, licet usque in finem diligens, æterno tamen supplicio mulctetur, fiat possibilis, „quodque S. Franciscus Salesius sibi in eo „statu fuisse visus sit: quod quidem neque „ipse tradidit, neque vitæ ejus auctores, „nec culquam animæ justæ persuasum esse „potuit. „

Quod actus directi, Et qui animæ reflectentis effugiunt aciem, sint illa ipsissima operatio, quam sanctus Franciscus Salesius apicem mentis appellet, nullo ejusdem sancti allato testimonio comprobatur. „

„Quod in his constituatur illa animæ „a se divulgæ mira, & inaudita divisio, „qua perfecta spes in summa parte consistat, „inferiori vera desperatio, quodque est pessimum illa in directis actibus, hæc in reflexis, qui ex sese sunt deliberatissimi, „ac efficacissimi, præsertim cum a Directore permittuntur, ita, ut spes in actibus directis, etiam a reflexis actibus abdicata persistat. Quod in hac divisione „animæ involuntaria desperationis impressione laborantis, ac propriam salutem „absolute devotentis, eadem anima cum „Chri-





„bationum naturam, ac tres notas, quibus  
 „a meditatione ad contemplationem vo-  
 „catio dignoscitur, & varia scripturæ loca  
 „a nativo sensu ad novum & inauditum  
 „translata.„

„Miramur præterea, altum esse in li-  
 „bro silentium de amore gratitudinis erga  
 „Deum, & Redemptorem Christum, cum  
 „de perfectorum amore agitur; tanquam  
 „hæc ad veram genuinamque charitatem  
 „inflammandam, & excitandam minime  
 „pertinerent, aut puro amori derogarent,  
 „aut a perfectis ea prætermitti oportet.„

„Nec minus miramur, quod cum in  
 „libro laudatum fuerit decretum Concilii  
 „Tridentini (t), spem per sese esse bo-  
 „nam, ac bonis congruentem definientis,  
 „illud tamen prætermissum sit ex eodem  
 „decreto, sanctissimos quosque ac per-  
 „fectissimos, quales fuere David ac Mo-  
 „ses, eo incitamento esse permotos: unde  
 „patet, quantum Auctor a Concilii mente  
 „recesserit, cum præsertim eodem Con-  
 „cilio docente, *omnibus bene operantibus us-  
 que in finem & in Deo sperantibus*, ac proin-  
 „de optimo cuique & perfectissimo, *vita*  
 ceter-

(t) Sess. VI. Cap. I.

*cæterna tanquam merces proponenda sit, quo  
„motivo non mercenarii fiunt, sed filii  
„paternæ hæreditatis ex ipsa charitate  
„studiosi.,*

„Huc accedit, quod dogmata in li-  
bro tradita eo tendant, invito licet au-  
ctore, ut actuum directorum beneficio  
vitium cum virtute opposita stare possit,  
ut, dum anima justitiæ divinæ præpo-  
sitero studio, omnibus occultis Dei vo-  
luntatibus acquiescit, in plenam & ab-  
solutam reprobationem imprudens con-  
sentiatur, & ut quod vetat Apostolus, *ad  
subtilia & vaniloqua deducamur.*

„Postremo Ecclesiæ peregrinantis,  
atque in patriam suspirantis extinguan-  
tur gemitus: Paulus & alii inter ipsa  
Martyria expectantes beatam spem, at-  
que hoc lucrum reposcentes inter mer-  
cenarios ablegantur. Nos vero *formam  
habentes sanorum verborum, sanctorumque*  
vestigiiis inhærentes, rebus impossibili-  
bus & absurdis Christianam pietatem  
perfectionemque minime metimur. Nec  
insolitos affectus, quos pauci Sancto-  
rum parce transeunterque effuderunt,  
confestim in regulam & in vitæ statum  
verti oportere credimus: neque has  
voluntates consensionesve, quæ circa im-  
possi-



possibilia versantur, veras voluntates confessionesque, sed velleitates more Scholæ appellamus.

Hæc igitur vera a majoribus accepimus, hæc sentimus, hæc omnibus testata esse volumus.

*Ludovicus Anton. Arch.  
Parisiensis.*

*J. Benignus Episc. Meldensis.  
Paulus Episc. Carnotensis.*



INDEX